



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

2. Quotuplex sit censura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

tionem tolli debet, cum primum peccator emendatus est: at depositio, degradatio & irregularitas tolli debent per dispensationem, quippe quæ simpliciter & inviolabiliter lata est.

Nunquam fertur censura propriè dicta, propter peccatum merè præteritum, sed propter illud, quod tractum successivum habet.

Depositiō, & degradatio non incurruntur ante iudicis sententiam, quia sunt pœnæ gravissimæ, & quæ non statim auferuntur, tamen si delinquens emendatus sit.

Irregularitas etiam ante sententiam incurritur ob reuerentiam Sacramenti.

CAP. II.

Quotuplex sit Censura.

Tres tantum sunt Censuræ; Excommunicatio, 1
 Suspendio, Interdictum; quia in iure Canonico solum 3. numerantur.

Concessa alicui facultas absoluendi à Censura, non extenditur ad irregularitates, quæ per dispensationem tolluntur.

Irregularitas & Cessatio à diuinis nō sunt Censuræ.

Censura alia est à iure lata, & alia ab homine, (iudice:) Hæc extinguitur morte ferentis, aut depositione eius, illa non. 2

Censura ab homine aut fertur per generalem sententiam; aut per specialem in certam personam.

Censura alia est latæ sententiæ à iure, sic dicta, 3
 quia eam reus statim ipso facto incurrit, sine alia Iudicis sententia, trahitque secum executionem: Alia censura est ferendæ sententiæ per Iudicem, quæ

L 3 non

non ipso facto seu delicto; sed, sicuti alia pœnæ per Iudicis sententiam infligi debet.

Censuram latæ sententiæ iudicant verba illa; Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus, excommunicationi subiaceat, prohibemus sub Excommunicatione ipso facto incurrenda.

Excommunicatio ferendæ sententiæ his verbis significatur; Qui hoc fecerit, excommunicetur, prohibemus pœna Excommunicationis.

Si verba ambigua, potius iudicari debet Censuram sententiæ ferendæ, quam latæ, iuxta reg. 49. in 6. *pœnis benignior facienda est interpretatio*, exempli gratia excommunicatus sit, anathema sit.

C A P. III.

Quis Censuram ferre possit?

1 **O**Mnis & solus Prælati Ecclesiastici censuram ferre potest in subditos, quam facultatem Clerico alteri delegare non prohibetur. Ratio Conclusionis est, quia omnis potestas Ecclesiastica foris terni ordinatur ad Christianam disciplinam servandam per leges, præcepta, sententias: hæc autem potestas infirma & inermis foret, nisi contumaces propositis pœnis ac censuris coercere & ad obedientiam compellere possit.

2 Laicis & Clericis coniugatis, dnm in Coniugiu viuunt, itemq; bigamis committi non potest facultas censuras ferendi, etiamsi seruiant Ecclesiæ, tunc jurisdictionis non sunt capaces. Ratio, quia *Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent.* c. decernimus, de iudiciis. Censuræ a. ad Ecclesiasticam & spiritualia clauium potestatem pertinent. Potest tamen potestas talis committi tum prædictis ex plenitudine potestatis Papalis.